

1. Uni epistulae respondi; venio ad alteram. petis a me ut Bibulo te quam diligentissime commendem. in quo mihi voluntas non deest. (Cic. fam. 2.17.6)
2. Verbum mihi deest, Quirites, cum ego hanc potestatem regiam appello, sed profecto maior est quaedam. (Cic. leg. agr. 2.34)
3. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus. (Cic. Cat. 1.3)
4. Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus; Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. (Cic. Brut. 148)
5. Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia superabat? At egebas. (Cic. Orat. 223.45m)
6. Erat ei consilium ad facinus aptum, consilio autem neque lingua neque manus deerat. (Cic. Cat. 3.16)
7. Genera causarum quinque sunt: honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. (Cic. inv. 1.20)
8. Si triginta illi Athenis leges inponere uoluissent, et si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco eae leges iustae haberentur? (Cic. legg. 1.42)
9. Quibus ex navibus cum essent expositi milites circiter trecenti atque in castra contenderent, Morini, quos Caesar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat, spe praedae adducti primo non ita magno suorum numero circumsteterunt ac, si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt. (Cae. b.G. 4.37)

NOMINATIVUS DUPLEX SUBIECTI ET PRAEDICATI

***fieri, effici, evadere, existere, exoriri, fieri, creari, renuntiari, deligi, declarari, designari, decerni  
putari, existimari, censer, duci, iudicari, haberi, numerari  
dici, appellari, vocari, nominari, inscribi, nuntiari  
inveniri,  
manere, permanere, remanere  
videri***

1. Cum autem certi propter divitias aut genus aut aliquas opes rem publicam tenent, est factio, sed vocantur illi optimates. Si vero populus plurimum potest omniaque eius arbitrio reguntur, dicitur illa libertas, est vero licentia. (Cic. re p. 3.23)
2. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. (Cic. fin. 2.18)
3. Nam cum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur; cum autem inaniter et effuse animus exultat, tum illa laetitia gestiens vel nimia dici potest (Cic. Tusc. 4.13)
4. Doloris omnis privatio recte nominata est voluptas. (Cic. fin. 1.37)
5. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ars ea, quae tollit haec, virtus nominata est. (Cic. 3.72)
6. Atque eundem primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt, fecisse accepimus aedemque in Capitolio Iovi optimo maximo bello Sabino in ipsa pugna vovisse faciendam mortuumque esse, cum duodequadrageinta regnavisset annos. (Cic. re p. 2.36)
7. qui erant cum Aristotele Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio, illi autem, quia Platonis instituto in Academia (...) coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. (Cic. acad. 1.17)
8. complures in perturbatione rei publicae consules dicti, quorum nemo consularis habitus nisi qui animo exstitit in rem publicam consulari. (Cic. fam. 10.6.3)
9. Nec audiendus eius (scil. Theophrasti) auditor Strato is qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet. (Cic. nat. d. 1.35)
10. Dicendum est, deus ille fuit, deus, inclyte Memmi, qui princeps vitae rationem invenit eam quae nunc appellatur sapientia (Lucr. DRN 5.8 sqq.)
11. qui ignotos laedit, latro appellatur, qui amicos, paulo minus quam parricida. (Petr. Sat. 107.11 sq.)

12. Quod multo fit aliter in Graecia. nam neque in conuiuium (mulier) adhibetur nisi propinquorum, neque sedet nisi in interiore parte aedium, quae gynaeconitis appellatur, quo nemo accedit nisi propinqua cognatione coniunctus. (Nep. praef. 1.7 sq.)
13. erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio, cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnis singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, eique etiam nunc annales maximi nominantur. (Cic. de orat. 2.52)
14. Quid enim est, per deos, optabilius sapientia, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur, nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia, (Cic. off. 2.5)
15. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione diuinius? Quae quomodo adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. (Cic. legg. 1.22)
16. quare cum solis ignis similis eorum ignium sit qui sunt in corporibus animantium, solem quoque animantem esse oportet, et quidem reliqua astra quae oriantur in ardore caelesti qui aether vel caelum nominatur. (Cic. nat. deor. 2.41)
17. Locus est fere regionum illarum nobilissimus non ita longe ab Alexandria qui nominatur Delta; quod nomen a similitudine litterae cepit: nam pars quaedam fluminis Nili derivata [inter se] duobus itineribus paulatim medium inter se spatium relinquens diversissimo ad litus intervallo [a] mari coniungitur. (Bell. Alex. 27.1 sq.)
18. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. (Caes. b.G. 1.1.1)
19. is pagus appellabatur Tigurinus; nam omnis civitas Helvetia in quattuor partes vel pagos est divisa. (Caes. b.G. 1.12.4)
20. Fabius inde et C. Iulius consules facti. eo anno non segnior discordia domi et bellum foris atrocius fuit. ab Aequis arma sumpta; Ueientes agrum quoque Romanorum populates inierunt. quorum bellorum crescente cura, Caeso Fabius et Sp. Furius consules fiunt. (Liv. 2.43.1 sq.)
21. ex infestis hostibus plerumque socii fideles, interdum etiam ciues fiunt. (Liv. 40.46.11)
22. Sed statuariae intereunt tempestate, vetustate, sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est quod nulla vi moveri neque deleri potest, atque, ut cetera exstinguuntur, sic sepulcra sanctiora fiunt vetustate. (Cic. Phil. 9.6.14)
23. Sed nemo umquam sic egit ut tu: 'cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui civitatem dominatu regio liberavit?' (Cic. Planc. 60.12)
24. Omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius. (Cic. Phil. 5.11.31)
25. et ut rem perspicuam quam paucissimis verbis agam, dubitari hoc potest, recuperatores, utri oppugnasse videantur, qui ad villam venerunt, an qui in villa manserunt? qui occisi sunt, an ei ex quorum numero saucius factus est nemo? (Cic. Tull. 55 sq.)
26. Quorum amplissimis iudiciis ornatus quaestor factus est. (Cic. Flacc. fr. Bob. 9)
27. Alexim, humanissimum puerum (nisi forte, dum ego absum, adulescens factus est; id enim agere videbatur), salvere iubeas velim. (Cic. Att. 7.7.7)
28. Nec hoc novum est, quaedam crescendo mutari. Infans fuit; factus est pubes: alia eius proprietas fit; ille enim irrationalis est, hic rationalis. Quaedam incremento non tantum in maius exeunt sed in aliud. 'Non fit' inquit 'aliud quod maius fit.' (Sen. ep. 118.14 sq.)
29. Piso, urbis custos, ebrius ex quo semel factus est fuit. (Sen. ep. 83.14)
30. ecquando, iudices, hoc audistis? bonitate sua gladiator factus est! (Quint. decl. mai. 9.22)
31. Seruus cum manu mittitur fit libertinus (Quint. inst. 7.3.27)
32. si Fortuna uolet, fiet de rhetore consul; si uolet haec eadem, fiet de consule rhetor. (Iuv. 7.197)
33. 'Sunt autem innumerabiles praesensiones non fortuitae.' At ego dico nullam (vide, quanta sit controversia); iam adsumptione non concessa nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, cum tam perspicuum sit, non concedamus. Quid est perspicuum? 'Multa vera', inquit 'evadere.' Quid, quod multo plura falsa? (Cic. div. 2.109)
34. Albucius (...) fuit (...) Athenis adulescens, perfectus Epicureus evaserat. (Cic. Brut. 131)

35. Vita nec bonum nec malum est: boni ac mali locus est. Ita nihil ille perdidit nisi aleam in damnum certiorum. Potuit evadere modestus et prudens, potuit sub cura tua in meliora formari, sed, quod iustius timetur, potuit fieri pluribus similis. (Sen. ep. 99.12)
36. Hunc cum reliquis rebus locum probabat, tum quod superioris anni munitiones integrae manebant, ut militum laborem sublevaret. (Caes. b.G. 6.32)
37. Cum iam ex diei tempore coniecturam caperet in castra perventum, isdem publicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit. (Caes. b.G. 7.34)
38. Sacra priuata perpetua manento. Deorum Manium iura sancta sunt. (Cic. legg. 2.22)
39. sum felix (quis enim neget hoc?) felixque manebo  
(hoc quoque quis dubitet?) (Ov. met. 6.193 sq.)
40. Nemo nascitur dives; quisquis exit in lucem iussus est lacte et panno esse contentus. (Sen. ep. 20.13)
41. Inpares nascimur, pares morimur. (Sen. ep. 91.16)
42. Neque caro spiritus fit neque spiritus caro. (Tert. adv. Prax. 27)
43. Non igitur adsumpsit hominem, sed factus est homo. (Mar. Vict. adv. Arr. 1A22)
44. Iste igitur dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in uirginem quandam et in utero eius caro figuratus nascitur homo deo mixtus. (Tert. apol. 21)
45. De his qui nunc petunt Caesar certus putatur. (Cic. Att. 1.1.2)
46. Haec ideo commoda putatur exornatio, quod omnem rei (...) vim et potestatem (...) dilucide proponit et explicat breviter. (Rhet. Her. 4.35.16)
47. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. (Caes. b.G. 6.13)
48. Nam duo isti sunt T. Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est, iste qui adest Magnus vocatur, homines eius modi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur, hic autem nuper se ad eum lanistam contulit, quique ante hanc pugnam tiro esset quod sciam, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit. (Cic. R. Am. 17)
49. Chrysis est amnis qui per Assorinorum agros fluit; is apud illos habetur deus et religione maxima colitur. (Cic. Verr. 2.4.96)
50. Nullum bellum iustum habetur nisi denunciatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus. (Cic. re p. 3.35)
51. Iam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpret, magnam turbam congregat ignotorum deorum (Cic. nat. d. 1.39)
52. Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,  
quandoquidem natura animi mortalis habetur. (Lucr. DRN 3.830 sq.)
53. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges. (Tac. Germ. 19)
54. Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere sane illustris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existumari potest: sunt enim et aliae et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio. nobis quidem pueris haec omnium optima putabatur, quae vix iam comparet in hac turba novorum voluminum. (Cic. Brut. 122)
55. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine et diligenter loquentibus numeratus est. (Cic. Brut. 166)
56. In eodem igitur numero eiusdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentissimi viri filius. non satis acutus orator, sed tamen orator numeratus est. (Cic. Brut. 221)
57. (Thucydides) nunquam est numeratus orator nec vero, si historiam non scripsisset, nomen eius exstaret. (Cic. orat. 31)
58. Et tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es, cum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis rei publicae iudicatus? (Cic. Phil. 2.51)
59. Nam est hostis a senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. (Cic. Phil. 4.1 sq.)
60. Demonstrabantur mihi praeterea quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus. (Cic. sen. 78)
61. Sed haec quidem de his, qui conservatione officiorum existimantur boni. (Cic. off. 3.17)
62. Namque apud nos, re uera sicut sunt, mercennarii scribae existimantur; at apud illos <e> contrario nemo ad id officium admittitur nisi honesto loco, et fide et industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. (Nep. Eum. 1.5)
63. volo te, cum fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. (Cic. fam. 1.22.1)

64. dictator L. Furius Camillus dictus addito magistro equitum P. Cornelio Scipione reddidit patribus possessionem pristinam consulatus. ipse ob id meritum ingenti patrum studio creatus consul collegam Ap. Claudium Crassum dixit. (Liv. 7.24.11)
65. Absens Marcellus consul creatus, cum ad exercitum esset. (Liv. 24.9.9)
66. Etenim ille cum propter virtutem et fidem cum Androne, homine honestissimo et certissimo, tum etiam propter eloquentiam legatus a suis civibus electus est. (Cic. Verr. 2.156)
67. Quemadmodum Ioseph posteaquam putatus est mortuus, non solum uiuens sed et in regno positus inuenitur (...): ita etiam dominus ac saluator noster, qui apud Iudaeos mortuus putabatur, in cordibus fidelium et uiuens inueniatur et regnans. (Ruf. de benedict. patriarch. 2.26)
68. ideo quasi insanus putatus est dauid, quando dixit ipse achis: arreptitium hunc mihi adduxistis. (Aug. Hipp. enarr. in psal. 33.1.8)
69. id hoc facilius iis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit, altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios, tertia lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. (Caes. b.G. 1.2.3)
70. in hoc medio cursu est insula quae appellatur Mona; complures praeterea minores obiectae insulae existimantur; de quibus insulis nonnulli scripserunt dies continuos xxx sub brumam esse noctem. (Caes. b.G. 5.13.3)

\*

71. quid vero hoc elegantius, quod non fit natura sed quodam instituto: indoctus dicimus brevi prima littera, insanus producta, inhumanus brevi, infelix longa et, ne multis, quibus in verbis eae primae litterae sunt quae in sapiente atque felice, in producte dicitur, in ceteris omnibus breviter; itemque composuit consuevit concrepuit confecit. consule veritatem: reprehendet; refer ad auris: probabunt; quaere cur ita sit; dicent iuvare; voluptati autem aurium morigerari debet oratio. quin ego ipse, cum scirem ita maiores locutos ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic ut pulcros, Cetegos, triumphos, Cartaginem dicerem; aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. Orcivios tamen et Matones, Otones, Caepiones, sepulcra, coronas, lacrimas dicimus, quia per aurium iudicium licet. Burrum semper Ennius, nunquam Pyrrhum; 'Vi patefecerunt Bruges', non Phryges: ipsius antiqui declarant libri. nec enim Graecam litteram adhibebant— nunc autem etiam duas—et cum Phrygum et Phrygibus dicendum esset, absurdum erat aut etiam in barbaris casibus Graecam litteram adhibere aut recto casu solum Graece loqui; tamen et Phryges et Pyrrhum aurium causa dicimus. quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eadem erant postremae duae litterae quae sunt in optumus, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequeretur. ita non erat ea offensio in versibus quam nunc fugiunt poetae novi. (Cic. orat. 159 sqq.)
72. sed qualiscumque's, resonent mihi 'Cynthia' silvae (Prop. 1.18.31)
73. Est via sublimis, caelo manifesta sereno;  
lactea nomen habet, candore notabilis ipso. (Ov. met. 1.168 sq.)
74. et inposuit Simoni nomen Petrus (Vulg. Marc. 3.16)
75. ager rubricosus et terra pulla, materina, rudecta, harenosa, item quae aquosa non erit, ibi lupinum bonum fiet. (Cat. agr. 34.2)
76. tu si te di amant, agere tuam rem occasiost. (Plaut. Poen. 659)
77. familia vero babae babae, non mehercules puto decumam partem esse quae dominum suum noverit. (Petr. Sat. 37.9)
78. servitium contra paupertas divitiaeque,  
libertas bellum concordia cetera quorum  
adventu manet incolumis natura abituque,

haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare. (Lucr. DRN 1.455 sqq.)

79. omnis enim abstinencia, omnis innocentia (quae apud Graecos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest *ablabeian*; nam est innocentia adfectio talis animi quae noceat nemini)—reliquas etiam virtutes frugalitas continet. (Cic. Tusc. 3.16)

80. ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia, sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis expertem aut in bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuuvare arbitror neque firmare, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam. (Cic. fin. 3.11)

81. Homines maritimi Syracusis, qui saepe istius ducis nomen audissent, saepe timuissent, cum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos animumque exsaturare vellent, potestas aspiciendi nemini facta est. (Cic. Ver. 2.5.65)

82. Idem Cn. Flavius, Anni filius, dicitur ad collegam uenisse uisere aegrotum. eo in conclaue postquam introiuit, adulescentes ibi complures nobiles sedebant. hi contemnentes eum assurgere ei nemo uoluit. Cn. Flavius, Anni filius, aedilis id arrisit, sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset, utique hi omnes inuiti uiderent sese in sella curuli sedentem. (Calp. Pis. fr.27)

83. Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? virtutem eorum diligentiamque cognoscite. 'In balneis delituerunt.' Testis egregios! 'Dein temere prosiluerunt.' Homines temperantis! Sic enim fingitis, cum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, tum repente evolasse istos praeclaros testis sine nomine; Licinium autem, cum iam manum ad tradendam pyxidem porrexisset, retraxisse atque ex illo repentino hominum impetu se in fugam coniecisse. O magnam vim veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsa defendat! (Cic. Cael. 63; v.l. *magna vis*)

84. o frustra mei suscepti labores, o spes fallaces, o cogitationes inanes meae! (Cic. Mil. 94)

85. ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:

'nate, meae uires, mea magna potentia, solus

nate patris summi qui tela Typhoea temnis,

ad te confugio et supplex tua numina posco. (Verg. Aen. 1.663 sqq.)

## VOCATIVUS

86. 'tu, Voluse, armari Volsorum edice manipulis,  
duc' ait 'et Rutulos. equitem Messapus in armis,  
et cum fratre Coras latis diffundite campis.'" (Verg. Aen. 11.463 sqq.)

87. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas,  
Leonida, argentum mihi, ne nos diiunge amantis. (Plaut. As. 663 sq.)

88. quom mi illa dicet 'mi animule, mi Olympio,  
mea vita, mea mellilla, mea festivitas,  
sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea,  
sine amabo ted amari, meus festus dies,  
meus pullus passer, mea columba, mi lepus',  
quom mi haec dicentur dicta, tum tu, furcifer,  
quasi mus, in medio pariete versabere. (Plaut. Cas. 134 sqq.)

89. legibus deinde recitatis, 'audi' inquit, 'Iuppiter; audi, pater patrate populi Albani; audi tu, populus Albanus.'" (Liv. 1.24.7)

90. Agite modico gradu! iacite thyrsos leuis!

o Dionyse, optime

o Dionyse, optime

Pater, uitisator, Semela genitus, euhie! (Acc. trag. 239 sqq. Ribb.)

91. Tuum Catilina fugit ingenium; tu M. Antonium proscripsisti. salve primus omnium parens patriae  
appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite et facundiae Latiarumque litterarum  
parens (Plin. nat. h. 117)
92. coniugis, heu me, pater, insidiis  
oppresse iaces seruitque domus ([Sen.] Oct. 31 sq.)
93. quid es ergo deus meus? quid, rogo, nisi dominus meus? quis enim dominus praeter dominum?  
aut quis deus praeter deum nostrum? summe, optime, potentissime, omnipotentissime,  
misericordissime et iustissime, secretissime et praesentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et  
incomprehensibilis, immutabilis, mutans omnia, numquam novus, numquam vetus, innouans omnia  
et in vetustatem perducens superbos et nesciunt; semper agens, semper quietus, conligens et non  
egens, portans et implens et protegens, creans et nutriens et perficiens, quaerens, cum nihil desit tibi.  
amas nec aestuas, zelas et securus es, paenitet te et non doles, irascaris et tranquillus es, opera mutas  
nec mutas consilium; recipis quod inuenis et numquam amisisti; numquam inops et gaudes lucris,  
numquam avarus et usuras exis. (Aug. conf. 1.4)
94. Gratus esses, o dee haeretice, si esses, in dispositionem creatoris, quod marem et feminam  
miscuit: utique enim et marcion tuus ex nuptiis natus est. (Tert. adv. Marc. 1 p. 332.22)
95. O dee cunctiparens, animae dator, o dee christe, /  
cuius ab ore deus subsistit spiritus unus, /  
te moderante regor, te vitam principe duco, /  
iudice te pallens trepido, te iudice eodem /  
spem capio fore quidquid ago ueniabile apud te, /  
quamlibet indignum uenia faciam que loquar que ... (Prud. Amart. 931 sqq.)